

dist.: haec praedicantur de obiecto conceptus directi — nego; de obiecto conceptus reflexi, subd.: positive — nego; negative — conc.

7. Atqui existunt naturae reales universales: a) divina natura in tribus personis existens; dist.: multiplicata sicut universalia — nego; individua et communicata — conc.

b) Christus ubique est in ss. Sacramento; dist.: multilocatus — conc.; multiplicatus — nego.

### **Caput III: De Realismo moderato seu vero.**

#### **§ 1. De natura universalis abstracti.**

1. *Notio universalis in genere:*<sup>1)</sup> Triplex universale distingui potest: a) *universale in causando*, quod multa producere potest; e.g. Deus; b) *universale in repraesentando*, quod multa repraesentare potest; e.g. conceptus universalis subiective spectatus multa individua significans; c) *universale in essendo*, et consequenter etiam *in praedicando*, quod in multis simul inesse et de ipsis praedicari potest; e.g. homo = animal rationale; et de hoc universalis, quod in rebus ipsis invenitur, nobis quaestio est, sc. de conceptibus nostris *obiective* spectatis. Hoc igitur *universale* definitur *unum aliquid aptum, ut pluribus insit et de iis univoce et divisim praedicetur.*

2. *Natura universalis abstracti:* Universale vocatur: a) *unum*, quia rationem aliquam *obiective* unam et sibi identicam exprimit. Iam vero potest distinguiri, sicut triplex essentia, ita et triplex unitas<sup>2)</sup>: a) *individualis* (*physica*), quae est maxima neque invenitur, nisi in singulis rebus e.g. Plato; exprimitur idea propria; b) *specifica* (*logica*), quae in pluribus eodem modo invenitur, e.g. humanitas; exprimitur conceptu reflexo; c) *essentialis* (*absoluta, metaphysica*), e.g. homo, quae abstrahit a ratione singularitatis vel pluralitatis; exprimitur conceptu directo. Universale autem, de quo disputamus, comprehendit tum unitatem specificam, tum essentialiem.

b) Universale vocatur *unum in pluribus*, quia, quod exprimit, non in uno solo individuo inest et praedicatur, sed in pluribus inest vel inesse potest; nam ad naturam universalis *in genere* non requiritur, ut actualiter in pluribus insit vel praedicetur, i.e. actualis communicatio in pluribus, sed saltem communicabilitas, e.g. sol, qui nobis revera unicus est, multiplicari tamen posset.

c) Universale dicitur *univoce* praedicari de pluribus, ut conceptus analogici et aequivoci excludantur, qui non exprimunt rationem unam *obiectivam*, quae sit perfecte in pluribus eadem, e.g. sanitas in homine et cibo; porro dicitur *divisim* praedicari, quia natura

<sup>1)</sup> Cfr. St. Thomae opusc. 55 et 56 „de universalibus“.

<sup>2)</sup> S. Thom. de ente et essentia, c. 4; Quodl. 8, qu. 1. a. 1.

eadem in singulis multiplicatur, ita ut singula, in quibus inest, numerari possint. Hoc modo conceptus collectivi excluduntur, qui quidem plura significant, sed non multiplicantur in singulis inferioribus, neque ipsis tribui possunt per identitatem, e.g. exercitus. Unde conceptus universalis obiective spectatus convenit cum conceptu singulari in hoc, quod unam rationem obiectivam exprimit; differt ab eo, quia haec ratio obiectiva non in uno solo individuo verificatur, sed in pluribus. Deinde convenit cum conceptu collectivo in hoc, quod plura significat; differt autem, quia unam rationem obiectivam, quae in singulis eadem est, exprimit; convenit cum conceptu analogo, quia plura obiecta significat divisim sumpta; differt, quia *candem* rationem obiectivam in singulis significat.

3. *Species universalis abstracti:* Universale duplex distinguitur: *directum* et *reflexum*. Potest enim considerari *id, quod* conceptus exprimit, e.g. homo = animal rationale; et *modus, quo* exprimit<sup>1)</sup>, e.g. homo, in quantum abstrahitur ab individualitate Petri, Pauli etc. et id solum consideratur, quod in multis inest. Iam vero universale *directum* exhibet solum *id quod* conceptus exprimit, i.e. naturam rei absolute consideratam eiusque unitatem essentialiem, ac proinde abstrahit tum a singularitate, tum a pluralitate. Unde universale directum respondet conceptui directo, et est id, quod in rebus re vera inest et praedicatur. Vocatur etiam *universale metaphysicum* et dividitur in decem *praedicamenta*. — Universale autem *reflexum* respicit directe modum, quo realitas illa conceptu directo expressa existit in mente, sc. modum abstractum et universalem, quo fit, ut natura illa in pluribus individuis eodem modo insit et praedicari possit. Universale igitur directum respicit primo et per se *comprehensionem* conceptus; reflexum vero eius *extensionem*. Hoc modo universale directum, quod in se solum *potentia* erat universale, per reflexionem mentis supperadditam fit *actu universale* et potest vocari *universale logicum*. Ex hoc patet, conceptum reflexum supponere directum ac constitui per *novum actum*, quo mens reddit in conceptum directum, eumque actu universalem efficit. Conceptus igitur reflexus non significat directe naturam, quae praedicatur, sed modum, quo praedicatur, ac proinde exhibit quinque *praedicabilia*.

*Thesis XI: Universale formaliter constituitur per operationem mentis.*

*St. qu. 1º Universale* hic intelligitur et directum et reflexum; praesertim vero agitur de universalis directo, quod reflexo supponitur. Quod si ostenditur formaliter constitui per operationem mentis, hoc

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. S. Th. I, qu. 85, a. 2 ad secundum; cfr. dialecticam, p. 18 et 25 sq.

a fortiori constat de universali reflexo, quod nascitur ex reflexione mentis ontologica et logica.

2<sup>o</sup> Thesis affirmat universale *formaliter*, i. e. tanquam *unum in pluribus* sive eo modo, quo in mente existit, constitui per mentis operationem. Id quod conceptus exprimit, i. e. eius comprehensio, potest considerari tanquam *materia*, *modus* vero universalis et abstractus, quo exprimit, id est eius universalitas et abstractio tanquam *forma* conceptus.<sup>1)</sup> Affirmamus igitur, formam conceptus seu eius universalitatem non esse in rebus, sed a mente effici, et esse in mente sola, non vero *materiam*.

*Prob. 1. Per exclusionem:* Ostendimus contra Nominalistas et Conceptualistas, universalia non in solis vocibus vel conceptibus existere, sed habere valorem obiectivum; deinde ostendimus contra Realistas exaggeratos, universalia formaliter neque in se neque in rebus ipsis existere. *Atqui* debent formaliter alicubi existere. *Ergo* non restat, nisi ut materialiter quidem in rebus, formaliter autem in mente concipiente existant, et per eius operationem formentur.

*2. Ex origine:* Debet esse ratio, cur universalia alio modo in rebus, alio modo in mente existant. *Atqui* ratio non est in obiectis perceptis, quae non sunt nisi singulares essentiae; neque est in sensatione, quae non refert nisi res concretas. *Ergo* ratio debet esse in intellectu percipiente, i. e. in modo, quo percipit.

*3. Ex natura universalis:* Universale est unum in pluribus vel *potentia*, ut universale directum, vel *actu*, ut universale reflexum. *Atqui* unum in pluribus vel potentia vel actu *physice* neque existit, neque existere potest. *Ergo* universale qua tale, i. e. formaliter, solum in ordine logico existit et existere potest.<sup>2)</sup>

## § 2. De modo abstractionis universalis.

*1. Abstractio directa:* Sicut omnis sensus iam aliquo modo obiectum suum abstrahit ab obiecto aliorum sensuum, phantasia vero etiam a tempore et loco, sic intellectus potissimum abstrahit, i. e. unam rationem apprehendit sine aliis naturaliter cum ipsa coniunctis. Haec operatio vocatur abstractio naturalis sive directa: *naturalis*, quia fit necessitate naturae; *directa*, quia hic actus mentis nullam requirit reflexionem, sed immediate in obiectum tendit. Iam vero triplex abstractio distinguitur; *physica*, qua mens proprietates physicas sensibiles considerat abstractas a subiecto materiali et individuali; *mathematica*, qua quantitatem tum a subiecto tum ab aliis

<sup>1)</sup> Patet, materiam et formam conceptus hoc loco alio sensu accipi atque in dialectica, p. 16; hic conceptus potius subiective, ibi obiective spectatur.

<sup>2)</sup> Cfr. S. Thom. Comment. de anima lib. 2, lect. 12.

proprietatibus sensibilibus abstractam apprehendit; *metaphysica* (sensu strictiore), qua intellectus rerum naturam abstrahit ab omnibus notis individuantibus et sensibilibus, quibuscum existit. Effectus seu terminus huius abstractionis directae, naturalis, quam hic tractamus, est *universale directum metaphysicum*, *conceptus primitivus*; et est summa notarum, quibus aliqua res intrinsecus constituitur.

*2. Abstractio reflexa:* Mens vero in hunc conceptum primitivum directum reflexione redire potest triplici modo: a) *psychologice*, si ipsum actum tamquam affectionem animae subiectivam considerat; sic in *psychologia* consideratur; b) *ontologice*, si in *comprehensionem* conceptus reflectit, singulas eius notas inter se distinguens, aliasque iterum ideas per analysim inde efformans, ita ut ad notiones universaliores ascendat, vel vice versa per synthesis, ut ex notionibus universalioribus conceptus minus universales formentur. Hoc modo conceptus factitii oriuntur et gradus metaphysici constituuntur, i. e. series differentiarum, specierum et generum, quas arbor Porphyriana exhibet. *Gradus* vocantur, quia ex uno conceptu fit ascensus ad universaliorum; *metaphysici*, quia distinctio illa superat naturam physicam, in qua nulla est realis distinctio, neque sensibus attingi potest. Operatio vero mentis, qua una nota essentialis ab alia distinguitur et gradus metaphysici constituuntur, vocatur *praecisio obiectiva*: *praecisio*, quia una nota ab alia praescinditur; *obiectiva*, quia fit in obiecto cognitionis, non in solo subiecto cognoscente. Vocatur etiam *praecisio reflexiva*, quia fit per reflexionem mentis in conceptum primitivum, et sic distinguitur ab abstractione naturali directa, quae obiectum suum in sensatione percipit; illa praescindit modo *positivo* ab aliis notis simul iam cognitis, haec autem modo *negativo*, i. e. quin prius individuationem, a qua naturam seu essentiam abstrahit, cognoscat.

c) *Reflexio logica*, quae directe in *extensionem* conceptus dirigitur, et naturam per conceptum directum iam praecisam et potentiam universalem, ad plura individua seu inferiora *actu* et expresse refert. Et hoc dupli modo fieri potest, vel a priori, ita ut mens considerans directe universalitatem et abstractionem naturae finitae conceptu directo expressae, eo ipso eam in pluribus inesse et multiplicari posse percipiat; vel a posteriori per modum inductionis, ita ut videns multas res *inter se similes*, eas in aliqua ratione communi obiectiva convenire, eamque proinde in illis rebus similibus inesse et multiplicatam esse perspiciat.

*3. Species abstractionis reflexae:* Praecisio autem obiectiva iterum triplex esse potest secundum modum distinctionis mentis. Omnis enim distinctio est aut *realis* aut *rationis*; illa praecedet mentis operationem, et est in ipsa re, e. g. *corpus* et *anima* in *homine*;

haec fit per operationem mentis (e. g. animalitas et rationalitas in homine), ac proinde eam sequitur. Nobis hic solum quaestio est de distinctione *rationis*. Haec igitur potest esse: a) sine fundamento in re, sicut si Tullius a Cicerone, definitum a definitione distinguitur, et haec distinctio vocatur *praecisio formalis* seu *rationis ratiocinantis*; b) cum fundamento imperfecto in re, si notae ab invicem distinctae formaliter quidem differunt, sed se invicem realiter necessario includunt, e. g. Dei proprietates, ratio entis; et haec distinctio vocatur *praecisio imperfecte obiectiva*; c) cum fundamento perfecto in re, quando notae ab invicem separatae sine aliis cogitari, immo etiam in rerum natura aliae sine aliis esse possunt; e. g. substantialitas et spiritualitas in homine; haec distinctio vocatur *praecisio perfecte obiectiva seu virtualis*.

*Thesis XII: Abstractio tum directa tum reflexa licet.*

*St. qu.* Quaeritur, num duplex illa abstractio, quam exposuimus, ad conceptus universales explicando admittenda sit. *Nominalistae* enim cum Durando et plerisque recentioribus *Sensistis* eam ut superfluam reiciunt; *Formalistae* vero vel eam non sufficere, vel non licere existimant; *Scholastici* autem cum Aristotele communiter eam statuunt. — Haec thesis differt a thesi VII eo, quod abstractiōnem ex parte obiecti licere affirmat; illa vero *existentialiam* vis abstractivae in subiecto cognoscente ostendit.

*Prob. 1. Ex natura attributorum:* Quae formaliter sunt distincta, ita ut se non includant, possunt praecisione perfecte obiectiva distinguiri, licet physice identica sint; nam tunc potest optime unum sine altero mente concipi, etiamsi physice sint identica e. g. natura humana sine individualitate Petri, animae substantialitas sine eius spiritualitate. *Atqui* gradus metaphysici, seu attributa rerum finitarum (notae essentiales): a) formaliter sunt distincta; nam diversa est eorum definitio, e. g. animalitas et rationalitas; b) se non includunt; e. g. natura humana non includit modum, quo in Petro existit; secus non posset esse homo nisi Petrus; c) possunt existere unum sine altero e. g. animalitas, quae non est rationalitas; d) immo possunt non-nunquam ab invicem negari, e. g. animalitas non est rationalitas. *Ergo* rerum attributa praecisione perfecte obiectiva distingui possunt.

*2. Ex natura generum:* Si praecisio obiectiva non licet, non possent genera et species constitui; nam genus requirit, ne differentia specifica ipsum ingrediatur; et species, ne notae individuantes in ipsa contineantur. *Atqui* omnes concedunt, genera et species legitime constitui. *Ergo* praecisio perfecte obiectiva est admittenda.

*3. Ex absurdis:* Si praecisio haec non admitteretur, intellectus imperfectior esset quam sensus; nam sensus abstrahunt a qualitatibus

sensibilibus cum suo obiecto *physice* coniunctis. *Atqui* intellectus perfectior est sensibus. *Ergo* potest abstrahere et distinguere etiam *metaphysice* coniuncta.

*4. Per exclusionem:* Sola ratio, cur illa praecisio non licet, esset, quia attributa distincta vel physice vel metaphysice identica sunt. *Atqui* tunc nil nisi res singulares cognosceremus, et debemus habere intuitionem rerum, neque sensus possent obiecta sibi propria ab aliis abstracta percipere, neque posset esse scientia. Insper haec ratio tunc solum valeret, si attributa rei ratione distinguentes, etiam realiter distincta esse iudicaremus. *Atqui* hoc nullo modo fit; nam „abstrahentium non est mendacium.“ *Ergo* praecisio illa obiectiva licet.

*Thesis XIII: Universale formaliter constituitur per abstractiōnem intellectus: directum per abstractionem naturalem et ontologice reflexam; reflexum per abstractionem logice reflexam.*

*St. qu.* Universale directum exprimitur per conceptus directos, qui et primitivos comprehendunt et factios, in quantum hi ex reflexione ontologica in comprehensionem conceptum primitivorum orti sunt. Universale autem reflexum est obiectum conceptum reflexorum, qui formati sunt ex reflexione logica in extensionem conceptum, eorumque universalitatem et abstractionem directe respiciunt.<sup>1)</sup>

*I. Universale directum seu metaphysicum formaliter constituitur per praecisionem obiectivam (abstractionem directam vel ontologice reflexam).*

*Prob. 1. Quoad conceptus primitivos:* Universale directum est illud, quod naturam rei *absolutam* exhibet, i. e. sine eius individuatione, abstrahens tum a rei singularitate, tum a pluralitate, quae universalis competere potest. *Atqui* ut rerum natura hoc modo possit percipi, requiritur (contra Nominalistas) mentis abstractio a notis individuantibus; nam res in se sunt singulares, ita ut nulla sit realis distinctio inter naturam physicam eiusque individuationem, neque in sensatione res apparent, nisi singulares, individuales. *Sufficit* autem (contra Formalistas) abstractio ab individualitate, ut natura universalis concipiatur; secus vel universale a parte rei existere deberet, vel cognition nostra esset falsa. *Ergo* ad universale directum quoad conceptus primitivos constituendum requiritur et sufficit mentis operatio abstractiva, eaque primitiva, quae invenitur in simplici apprehensione.

*2. Quoad conceptus factios ex primitivis formatos per distinctiōnem graduum metaphysicorum:* Gradus enim metaphysici seu rerum

<sup>1)</sup> Cfr. Dialect. p. 16 et 18.

attributa essentialia in ipsis rebus sunt realiter identica, e.g. animalitas et rationalitas in anima humana. *Atqui* mens, quanvis realem illam attributorum identitatem cognoscat, ea tamen, teste dialectica, ab invicem distinguit et conceptibus exprimit formaliter diversis, e.g. animalitatem et rationalitatem in homine. *Ergo* universale directum etiam in gradibus metaphysicis constituitur per praecisionem mentis perfecte obiectivam, i.e. per mentis reflexionem et analysim conceptus quoad eius *comprehensionem*.

*II. Universale reflexum seu logicum formaliter constituitur per comparationem mentis reflexive logicam.*

*Prob.* Universale reflexum illud vocatur, quod naturam rerum abstractam, i.e. universale directum pluribus individuis expresso tribuit. *Atqui* a) neque in rerum natura existit vel existere potest quidquam reale simul in pluribus; b) neque conceptus in prima mentis operatione (abstractio directa naturalis) est *actu* universalis, eiusque communicabilitas nondum expresse cognoscitur. *Ergo* oportet accedit ad abstractionem seu praectionem mentis obiectivam alia mentis operatio, qua vel natura universalis in se considerata cognoscatur apta, quae in pluribus subiectis inesse et realiter multiplicari possit, etiamsi unum solum individuum existat e.g. sol; vel pluribus eiusdem naturae individuis inter se comparatis percipiat, eandem illa naturam habere. Ac proinde patet, universale reflexum formaliter constitui per reflexionem mentis comparativam in *extensionem* conceptus directi.

*§ 3. De fundamento universalis abstracti.*

*Thesis XIV.* *Abstratio mentis seu praeccio obiectiva habet fundatum in re.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Fundamentum hic vocatur ratio, cur naturam sine individuatione, unum gradum metaphysicum sine aliis percipiamus, et cur eandem naturam pluribus individuis tribuamus. Haec autem ratio potest esse tum in obiecto percepto (obiectiva), tum in subiecto percipiente (subiectiva). Quaeritur, num adsit fundamentum obiectivum vel etiam subiectivum, et quale pro utroque universalis: directo et reflexo. Affirmamus, adesse a) fundamentum obiectivum in natura rerum finitarum: proximum esse intrinsecam indifferentiam naturae finitae ad hanc vel illam individuationem; remotum esse rerum finitatem et contingentiam (Endlichkeit); b) fundamentum autem subiectivum esse in natura cognitionis nostrae imperfectae; proximum quidem in origine cognitionis intellectualis ex sensationibus, remotum in unione substantiali animae nostrae cum corpore.

2<sup>o</sup> Thesis haec refutat tum *Nominalistas* fundamentum obiectivum conceptum negantes, tum *Formalistas* fundamentum hoc exaggerantes.

A. *Fundamentum obiectivum, idque I. proximum est rerum intrinseca indifferentia.*

*Prob.* 1. *Quoad conceptus primitivos:* Natura finita est intrinsece indifferens ad hanc vel illam individuationem, i.e. hunc vel illum modum existendi; quod nisi esset, omnes res finitae deberent necessario existere et quidem ab aeterno, neque possent perire, neque posset esse, nisi una natura et una eius individuatio. *Atqui* natura in se una indifferens ad plures individuationes potest optime per se i.e. abstracte sine illa individuatione concipi; concipitur autem hoc modo per conceptum primitivum, qui abstractione naturali directa formatur. *Ergo* fundamentum proximum conceptus universalis directi est naturae finitae intrinseca indifferentia ad plures individuationes.

2. Idem dicendum est de fundamento conceptus *directi factiti*: Nam gradus metaphysici intrinsece indifferentes sunt, ut cum hoc vel illo gradu metaphysico sint realiter idem; e.g. ratio substantiae ex se indifferens est tum ad angelum, tum corpus naturale, tum plantam, tum animal, tum hominem constitendum; secus enim ratio substantiae non posset inveniri nisi vel in angelo, vel in corpore etc. *Atqui* gradus metaphysicus intrinsecus indifferens ad hunc vel alium gradum potest optime sine illo concipi, et concipitur hoc modo per conceptum factitium, qui praeccio obiectiva formatur. *Ergo* fundamentum proximum gradus metaphysici, quem universale directum exprimit, est intrinseca eiusdem indifferentia ad alios gradus metaphysicos.

3. Quod vero *universale reflexum* attinet, duplex fundamentum proximum potest statui: a) fundamentum de *iure*, quod est *interna naturae finitae indifferentia* ad plures individuationes; nam ex hac indifferentia perspecta immediate sequitur, posse eandem naturam in multis individuis inesse, ac proinde multiplicari; b) fundamentum de *facto*, quod est *existencia ipsa* plurium rerum inter se *similium* e.g. hominum; nam individuatione abstracta, in eandem naturam illa individua convenire appetet, eamque proinde in multis inferioribus multiplicari. Unde patet, etiam universale reflexum habere fundamentum proximum in rebus perceptis.

II. *Fundamentum obiectivum remotum seu ultimum abstractionis seu praeccisionis est rerum finitas et contingentia.*

*Prob.* Naturae finitae indifferentes sunt ad plures individuationes (idem dicendum est de gradibus metaphysicis), quia non sunt ex se et a se; nam quidquid est ex se et a se, est omne id, quod esse potest, ac proinde est necessario existens et infinitum, neque ullo

modo indifferens ad esse, aut ad hoc vel illo modo esse. *Atqui* indifferencia intrinseca naturae finitae est fundamentum proximum universalis. *Ergo* rerum contingentia, quae est *causa ultima* indifferenciae rerum intrinsecae, est etiam fundamentum ultimum universalis tum directi, tum reflexi.

*Coroll.* Ex hoc patet, nostram cognitionem divinae naturae per conceptus universales non posse esse propriam, sed analogam et valde imperfectam, quia natura divina nullo modo intrinsecus indifferens est ad plures individuationes, quum sit a se, eam autem concipimus modo universalis. Neque cognitio divinarum perfectionum, licet *formales* earum conceptus in nobis sint diversi, est *perfecte* praecisiva, quia omnis perfectio divina infinita est, ac proinde perfecte cogitari nequit sine aliis attributis divinis.

B. *Fundamentum subiectivum*, idque I. *proximum est origo cognitionis intellectualis per sensationes*.

*Prob. 1. Ex natura sensationis:* Constat enim, cognitionem intellectualis rerum oriri per sensationes. *Atqui* sensus non referunt direcete nisi qualitates sensibiles, quae sunt notae rerum individuales *externae*, non internae sive *essentiales*; obiectum autem proprium intellectus non referunt nisi per accidens, i. e. tanquam subiectum et causam sensibilium. *Ergo* intellectus res non potest percipere per modum intuitionis, sicut sunt in suis essentiis *singulares*, sed in communi, in quantum sunt subiectum et causa sensibilium.

*2. Per exclusionem:* Cognitio nostra rerum intellectualis *primitiva* aut est intuitiva, aut abstractiva, aut discursiva. *Atqui* non est intuitiva, quia non cognoscimus, in quo e. g. essentia Petri in se singularis differat a natura singulari Pauli; neque est discursiva, quia discursus iam supponit conceptus aliunde formatos. *Ergo* debet esse abstractiva, i. e. *immediate* in et cum sensibilibus eorum subiectum percipimus et causam, ita ut res individuas non nisi notis sensibilibus inter se distinguamus.

*3. Ex absurdis:* Constat, nos aliquo modo etiam rerum naturam cognoscere, non solum earum sensibilem apparentiam. Iam vero si haec nostra cognitio non esset abstractiva, deberemus habere intuitionem rerum, ac proinde scire, in quo essentia Petri singularis differat a Pauli natura singulari. *Atqui* constat, nos hanc differentiam essentiae individualis non cognoscere, sed res distinguere ex notis individuantibus externis (manifestativis, non constitutivis). *Ergo* cognitio nostra intellectualis est ex natura sua abstractiva.

II. *Fundamentum vero remotum subiectivum cognitionis nostrae abstractivae est unio substantialis animae nostrae intellectualis imperfectae cum corpore.*

*Prob.* Ideo cognitio nostra intellectualis per sensationes oritur, semperque supponit earum concursum, quia anima nostra intellectus

tualis imperfecta ex natura sua ordinata est ad corpus informandum, ut inde ad operationem intellectualis excitetur et perficiatur; alioquin haec unio cum corpore animae intellectuali inutilis, immo maximo impedimento esset. *Atqui* origo cognitionis intellectualis ex sensationibus est fundamentum proximum subiectivum cognitionis abstractivae. *Ergo* unio animae intellectualis cum corpore, quum sit causa ultima, cur cognitio intellectualis oriatur ex sensationibus, est etiam fundamentum ultimum subiectivum cognitionis nostrae abstractivae.

*Coroll.* Inde elucet, hanc cognitionem rerum abstractivam non esse in Deo, qui per suam essentiam res intuetur, sicut sunt in se; neque in angelis, qui per species proprias a Deo inditas res cognoscunt, non per relationem sensuum.

*Obi. 1.* Universale repugnat, quia repugnat unum idemque multiplicatum in multis; dist.: physice — conc.; metaphysice — nego.

2. Atqui etiam metaphysice; nam metaphysica essentia est realis essentia; dist.: id quod exprimit (materialiter) — conc.; modus, quo exprimit (formaliter) — nego.

3. Atqui tunc mens deberet efficere suum obiectum, i. e. universale, non supponere; dist.: deberet efficere formaliter — conc.; materialiter et fundamentaliter — nego.

4. Atqui neque formaliter, i. e. quoad universalitatem potest efficere, quia mens ipsa est singularis; dist.: in esse — conc.; in repraesentando — nego.

5. Atqui mens deberet habere universalitatem in esse; nam efficeret universale in essendo et praedicando; dist.: esse physicum universale — nego; esse logicum — conc.

6. Atqui tunc universale haberet esse mere logicum; dist.: 1<sup>o</sup> universale directum materialiter — nego; formaliter; subd.: cum fundamento in re — conc.; sine fundamento in re — nego.

2<sup>o</sup> Universale reflexum; tum materialiter tum formaliter haberet esse logicum; dist.: cum fundamento in re — conc.; alias — nego.

7. Atqui universale non habet nisi esse logicum, quia natura tota, universalis, aeterna, necessaria in nulla re est, ac proinde neque abstrahi potest; dist.: materialiter non inest in rebus — nego; formaliter non inest, subd.: ita ut ne fundatum abstractionis insit — nego; ita ut saltem fundamentum universalis conceptus in rebus sit — conc.

8. Atqui in rebus neque materialiter neque fundamentaliter inest universalis natura; secus e. g. in Petro tota natura humana inesse deberet; dist.: quoad comprehensionem — conc.; quoad extensionem — nego.

9. Atqui non licet abstrahere naturam ab individuatione vel unum gradum metaphysicum ab alio, quia realiter identica sunt; dist.: physice sunt identica — conc.; metaphysice sunt identica — nego.

Non liceret abstrahere, si per hoc ea quae identica sunt, physice separarentur, vel positive ab invicem negarentur; sed abstractio solum negative se habet, non attendit nisi ad unum, nil dicens de alio cum ipso coniuncto.

10. Atqui natura et individuatio, gradus metaphysici metaphysice identica sunt, quia ne cogitatione quidem separari possunt; dist.: materialiter — conc.; formaliter — nego.

11. Atqui neque formaliter separari possunt; nam e. g. substantia in angelo intrinsece et essentialiter est spiritualis, in lapide vero intrinsece et essentialiter est materialis; dist.: substantia concreta — conc.; substantia abstracta — nego; secus tota dialectica impossibilis esset ac merum figuratum mentis; imo hoc de omnibus scientiis dicendum esset.

12. Atqui neque in universalis abstracto possunt gradus metaphysici distingui; nam conceptus debet rem exhibere sicut est, i. e. cum suis notis tum individualibus tum essentialibus; dist.: conceptus adaequatus — conc. inadaequatus, subd.; quoad id, quod exprimit — conc.; quoad modum, quo exprimit — nego.

13. Atqui debet saltem modum essentiale exhibere; alias e. g. substantia non posset praedicari de homine et de lapide, in quibus modo essentialiter diverso inest; dist.: non posset praedicari tanquam physice eadem — conc.; tanquam metaphysice eadem — nego. Eo ipso, quod in iudicio substantia — et idem valet de aliis conceptibus universalibus — praedicatur de homine vel lapide, conceptus ille in se abstractus et metaphysicam exprimens realitatem fit concretus, et contrahitur ad realitatem individualem et physicam significandam per relationem ad subiectum, quod est obiectum *materiale*, praedicatum vero obiectum *formale* iudicii.

14. Atqui identitas illa non potest esse solum metaphysica; nam tunc abstractio vel praecisio sese haberet tantum ex parte actus praecedentis, non naturae praecisae; dist.: effective — conc.; terminative, subd.: formaliter — conc.; fundamentaliter — nego.

15. Atqui nullum est fundamentum in re; nam illud fundamentum aut esset aliquid reale in ipsa re, et tunc deberet esse iam distinctio realis in re; aut nil est reale, et tunc non est fundamentum reale. Ergo nullum est fundamentum. — Nego disiunctionem et addo tertium membrum: aut est aliquid solum fundamentaliter in re, formaliter autem in mente; nam *fundamentum* disiunctionis in re non debet iam in se esse *distinctio aliqua realis*.

### Liber tertius: Obiectum idearum.

1. *Notio*: Origine et natura idearum explicatis, restat inquirendum, quale sit earum obiectum. qua quaestione rite soluta, idearum nostrarum valor obiectivus perfecte dignoscitur. Iam vero obiectum idearum duplex distinguendum est: *materiale* et *formale*. Obiectum *materiale* idearum sunt res vel existentes vel solum possibles, sicut in se sunt, abstractione facta a nostra cognitione; quae quidem res possunt esse obiectum materiale diversarum operationum et facultatum. Obiectum *formale* est illa ratio obiectiva, quam facultas operans in obiecto directe intendit, sub qua illud praecise attingit, et sine qua illud percipere nequit. Sic idem pomum potest esse obiectum materiale diversarum facultatum: videndi, tangendi, gustandi; intelligendi, ratiocinandi, appetendi etc., sed ratio formalis, sub qua singulae facultates idem pomum attingunt, est prorsus diversa: pro oculis color; pro tactu extensio, mollities, durities; pro gustu sua-

vitae; pro intellectu eius natura et relationes ad alias res mundi; pro ratiocinio e. g. cultura pomi, commercium etc., pro appetitu bonitas vel materialis vel spiritualis quoad finem hominis (ratio sanitatis, honestatis, mortificationis, amoris proximi vel divinae bonitatis).

2. *Divisio*: Quaeritur igitur, quid sit obiectum *formale* et *materiale* idearum nostrarum, sive, quod idem est, cognitionis intellectualis nostrae. Unde primum explorabimus, quid sit obiectum idearum *formale*; deinde quid sit earum obiectum *materiale*; tertio usquequo se extendat obiectum *materiale* et *formale* intellectus nostri, i. e. qui sint *fines cognitionis nostrae*.

### Caput I: De obiecto formali idearum.

*Thesis XV: Obiectum formale ultimum idearum est ratio entis universalissimi, proximum autem rerum essentiae, eaque universalis modo conceptae.*

*St. qu. 1<sup>o</sup> Ratio entis universalissimi abstrahit ab omni determinatione generica, specifica, individuali, immo etiam a rerum existentia vel possibilitate, neque exprimit nisi oppositionem ad nihil, i. e. esse positum extra nihil et quidem extra nihil absolutum (nihil essentiae), quae ratio entis certe in omnibus rebus sive materialibus, sive immaterialibus, finitis sive infinitis, existentibus vel solum possibilibus verificatur. Si igitur affirmamus obiectum formale idearum esse rationem entis universalissimi, nolumus contendere, primum actum cognitionis nostrae versari circa nudam hanc rationem abstractissimam, ut vult Rosmini; constat enim notionem entis ut sic esse factitiam, neque acquiri nisi per abstractionem mentis ontologicam satis difficilem. Neque affirmamus, nos res percipientes primo efformare ideam entis ut sic et deinde entis determinati per idearum compositionem logicam et metaphysicam, quod volunt idealistae pantheistici ut Hegel; sed contendimus, nos nullum obiectum posse cognoscere nisi rationem entis in se contineat aliquo modo determinati. Sicut enim oculus, cuius obiectum formale est color, non colorem mere abstractum a re colorata, sed rem aliquam certo modo coloratam percipit, ita etiam intellectus noster ideis suis, quas ex fontibus cognitionis (ex experientia interna et externa, ex intelligentia immediata et mediata, ex auctoritate divina vel humana) aequirit, res cognitas apprehendit sub ratione entis certo modo determinati, ita ut omnis conceptus implicite contineat notionem entis, sicut omnis res implicite continet rationem entis.*

*2<sup>o</sup> Rerum essentiae nihil aliud sunt, nisi ratio entis certo modo determinata, quae in omnibus rebus eiusdem speciei eadem inveniatur, quamvis in multis accidentibus differant; e. g. homo = ens —*